

IN FRONTEM BRAVNIANI THEATRI SENARIJ.

Lector sagax, vides opus theatricum,
Mineruijs coloribus prænobile,
Delineante BRAVNIA Musa vigens,
Florensque, ceu Coi senis miraculum;
Tantum modò cœleste non; sed Palladis
Clarum decus, mundi que promptuarium.
Voluminis pro dignitate maximi,
Quod parte quinta corporis sui exijt,
Hæc frons, imago frontis hæc est africa.

RELIGIO cum comite sua POLITIA
Dextram iugat, simulque inhaerent mutuis
Amplexibus, suauis que dulcibus.
PAX, IUSTITIA, sub altero sunt nomine:
Oliuivatis illa stillat copiam,
Vberima placet que dulcitudine,
Candore simplicis columbae prædita:
Sed qua status rerum bilance ponderat,
Res vrbicas tenet perenni foedere.
Ergo ruit MARS & Deorum examina.
Contra MICHAEL ille cæli belliger
Formidinem iniicit, triumphans, hostibus,
Pythone Tartari coacto sub pedes.

Heroides mundi potentis quatuor
Gaudent simul sese tueri complices,
Spirent ut huius in libri concordiam.
EVROPA regijs decora in infulis,
Et pampini calum æmulata nectare,
Orbis voluptas atque maiestas potens,
Orbis tueri sola nomen eualeat.
Tantis ASIA propinquior splendoribus,
Quanta est, tamen minore stans in ordine
Huic cedit, Rhino — ceu — ceros Leonibus.
Honore tertio potitur AFRICA,
Discincta veste, cincta pharetra, & arcubus
Horrens, cruoris apta bibulo missili,
Cincta crocodilis, atque belluis frequens.
Pars orbis vltima atque maxima omnium

VEPVCI O reperta tellus auspice,
Quo autorenomen AMERICA iam vendicat:
Ceruorum ad instar hæc fugacium fuit
Impos sui, & nostris remota cultibus;
Nunc rerum & vrbium est ei frequentia,
Quas hoc vides reconditas volumine.

Hoc Imperatorum parens GERMANIA
Videns, ait: tantis frequentor vrbibus;
Habitus hic est, hic vultus, hæc est gratia.
IBERVS hic sceptri propagator potens
Sui, suas moles tuetur vrbium,
Quousque commutat lucra & potentiam
Suam, Indiam axe peruagans sub duplici.
ITALVS ad hoc opus stupescit vnicè,
Dicens. fatebor, exstruo isthæc omnia:
Sed vmbra vincit hæc imaginem meam.
GALLVS, cui cristata frons, cristata mens,
(Nam bellica excitatus est adorea)
Non gallinaceus modò, sed martius
Est pullus; vrbium suarum contuens
Imagines viua decoras linea,
Dicit: sui regnator vrbium potens,
Et vrbium tales fuere gloriæ,
Nitorque; qui ciuilibus discordijs,
Malo quasi fato, perire debuit.
BRITANNVS hic maris potens, soli potens
In insula, locorum amœna perspicit.
ODRYSIVS ductor, tyrannus omnium
Sauissimus, teterrimus, nequissimus,
Heu, TVRCA, nostra vendicat sibi, suas,
Sed rapto, opes hic aspicit, Lunaraque;
In mille formis oppida. ast, lector bone,
Ne crede, quod sera nimis coronide
Sit longior liber; varietas te iuuat:
Volumen ergò perlege sua ad cornua,
Cornu potes sic comperire copiarum.

Guilhelmus Salsmannus.